

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Ipocrisis af  
cum fonte primo

Quid dicturi sumus,

qui iniqua operibus docemus, et sola uoce ea que sunt iusta pretendimus?  
Ossa ieiuniis atteruntur, et mente turgemus.  
Corpus despectis uestibus tegitur, et elatione cordis purpuram superamus.  
Iacemus in cinere, et excelsa non despiciamus.  
Doctores humilium, duces superbie ouina facie lupinos dentes abscondimus.

Gregorius in registro.

Quid autem dicturi sumus,

qui populum Dei cui indigne praesumus  
peccatorum nostrorum oneribus premimus,  
qui quod per linguam praedicamus per exempla destruimus,  
qui iniqua docemus operibus et sola uoce ea quae sunt iusta praetendimus?  
Ossa ieiuniis atteruntur, et mente turgemus.  
Corpus despectis uestibus tegitur, et elatione cordis purpuram superamus.  
Iacemus in cinere, et excelsa despiciamus.  
Doctores humilium, duces superbiae ouina facie lupinos dentes abscondimus.

Gregorius Magnus, *Registrum epistularum*, 5.37 (CCSL 140, D. Norberg ed., p.308, ll.17-24).